The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Augustinus de genesis contra manicheos (fol.3ra-va)

1. Nulla scriptura est quod non aput eos. qui illam non intelligunt. facile possit reprehendi. sed ideo diuina prouidentia multos diuersi erroris hereticos. esse permittit. ut cum insultant nobis. et interrogant nos, ea que nescimus. uel sic excutiamus pigritiam. et diuinas scripturas nosse cupiamus.

   Solent ergo Manichaei scripturas veteris testamenti quas non noverunt vituperare et ea vituperatione infirmos et parvulos nostros non invenientes, quomodo sibi respondeant, irridere atque decipere, quia nulla scriptura est, quae non apud eos qui illam non intellegunt facile possit reprehendi. Sed ideo divina providentia multos diversi erroris haereticos esse permittit, ut, cum insultant nobis et interrogant nos ea quae nescimus, vel sic excutiamus pigritiam et divinas scripturas nosse cupiamus.

   Augustinus Hipponensis, *De Genesi contra Manichaeos*, 1.1.2 (CSEL 91, D. Weber ed., pp.67-8, ll.1-9).

2. Causas uoluntatis dei scire querunt manichei. cum uoluntas dei omnium que sunt ipsa sit causa. Si enim habet causam uoluntas dei. est aliquid quod antecedat uoluntatem dei. quod nefas est credere. Qui ergo dicit. quare facit deus celum et terram. Respondendum est illi. quia uoluit. uoluntas enim dei causa est celi et terre. et ideo maior est uoluntas dei quam celum et terra. qui autem dicit. quare uoluit facere celum et terram. maius aliquid quaerit. quam est uoluntas dei. nichil autem maius inueniri potest. Compescat ergo se humana temeritas. et id quod non est non querat. ne id quod est non inueniat. et si uoluntatem dei nosse quisque desiderat. fiat amicus deo. quia si uoluntatem hominis nosse quisque uellet. cuius amicus non esset. omnes eius inpudentiam aut stulticiam deriderent. Non autem quisque efficitur amicus dei. nisi purgatissimus moribus.

   Causas enim voluntatis dei scire quaerunt, cum voluntas dei omnium quae sunt ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas dei, est aliquid quod antecedat voluntatem dei, quod nefas est credere. Qui ergo dicit: quare fecit deus caelum et terram?, respondendum est illi: quia voluit. Voluntas enim dei causa est caeli et terrae, et ideo maior est voluntas dei quam caelum et terra. Qui autem dicit: quare voluit facere caelum et terram?, maius aliquid quaerit quam est voluntas dei; nihil autem maius inveniri potest. Compescat ergo se humana temeritas et id quod non est non quaerat, ne id quod est non inveniat. Et si voluntatem dei nosse quisque desiderat, fiat amicus deo, quia si voluntatem hominis nosse quisquam vellet, cuius amicus non esset, omnes eius impudentiam ac stultitiam deriderent. Non autem quisque efficitur amicus dei nisi purgatissimis moribus et illo fine

praecepti, de quo apostolus dicit: *finis autem praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta*; quod isti si haberent, non essent haeretici.

Augustinus Hipponensis, *De Genesi contra Manichaeos*, 1.2.4 (CSEL 91, D. Weber ed., p.71, ll.17-34). cf. I Tim. 1:5

3. Nichil de deo digne dici potest nobis. tamen ut nutriamur. et ad ea perueniamus. que nullo sermone humano dici possunt. ea dicuntur que capere possumus.

   Nihil enim de deo digne dici potest. Nobis tamen, ut nutriamur et ad ea perveniamus quae nullo humano sermone dici possunt, ea dicuntur quae capere possumus.

   Augustinus Hipponensis, *De Genesi contra Manichaeos*, 1.8.14 (CSEL 91, D. Weber ed., p.80, ll.15-18).

4. Concrescit aer et crassus efficitur exalationibus. et quasi uapor est maris. et terre. et de ipso humore pinguescit quodam modo. ut uolatus auium portare possit. ideo per noctes serenas etiam rorat. cuius roris gutte mane in herbis inueniuntur. Nam mons ille macedonie. qui olimpus uocatur. tante altitudinis esse dicitur. ut in eius cacumine nec uentus sentiatur. nec nubes se colligant. quia excessit altitudine sua. totum aerem istum humidum. in quo aues uolant. et ideo nec ibi aues uolare asseuerantur.

   Concrescit enim et crassus efficitur exhalationibus et quasi vaporibus maris et terrae et de ipso humore pinguescit quodammodo, ut volatus avium portare possit. Ideo per noctes etiam serenas rorat, cuius roris guttae mane in herbis inveniuntur. Nam mons ille Macedoniae, qui Olympus vocatur, tantae altitudinis esse dicitur, ut in eius cacumine nec ventus sentiatur nec nubes se colligant, quia excedit altitudine sua totum istum aerem humidum, in quo aves volant, et ideo nec aves ibi volare asseverantur.

   Augustinus Hipponensis, *De Genesi contra Manichaeos*, 1.15.24 (CSEL 91, D. Weber ed., p.90, ll.15-23).

5. Fortasse uberiorem fructum capies. cum deum laudas in humilitate formice quam cum transis fluuium in alicuius iumenti altitudine

   Sic fortasse uberiorem fructum capies, cum deum laudas in humilitate formicae, quam cum transis fluvium in alicuius iumenti altitudine.

   Augustinus Hipponensis, *De Genesi contra Manichaeos*, 1.16.26 (CSEL 91, D. Weber ed., p.94, ll.31-33).

6. Haec est hominis uita beata. atque transquilla. cum omnes motus eius rationi ueritatique consentiunt.

Non enim alieni a nobis sunt motus animi nostri: pascuntur etiam nobiscum cognitione rationum et morum optimorum et vitae aeternae tamquam herbis seminalibus et lignis fructiferis et herbis viridibus; et haec est hominis vita beata atque tranquilla, cum omnes motus eius rationi veritatique consentiunt, et vocantur gaudia et amores sancti et casti et boni.

Augustinus Hipponensis, *De Genesi contra Manichaeos*, 1.20.31 (CSEL 91, D. Weber ed., pp.98-9, ll.12-18).

7. Tanta est uis et potentia integritatis. ut etiam qui multa sunt bona. tunc placeant ualde. cum in uniuersum aliquid conueniunt. atque concurrunt. uniuersum autem ab unitate nomen accepit.

   Tanta est vis et potentia integritatis et unitatis, ut etiam quae multa sunt bona tunc <plus> placeant, cum in universum aliquid conveniunt atque concurrunt; universum autem ab unitate nomen accepit.

   Augustinus Hipponensis, *De Genesi contra Manichaeos*, 1.21.32 (CSEL 91, D. Weber ed., p.100, ll.18-21).

8. Deus requieuisse dictus est ab omnibus suis operibus que fecit bona ualde. quia in illo requiescemus ab omnibus operibus nostris. si opera bona fecerimus. quia et ipsa bona opera nostra. illi tribuenda sunt. qui uocat qui precipit. qui uiam ueritatis ostendit. qui ut et uelimus inuitat. et uires impendit. et ea que imperat subministrat.

   Sic et Deus requievisse dictus est ab omnibus operibus suis quae fecit bona valde, quia in illo requiescemus ab omnibus operibus nostris, si opera bona fecerimus, quia et ipsa bona opera nostra illi tribuenda sunt qui vocat, qui praecipit, qui viam veritatis ostendit, qui ut et velimus invitat et vires implendi ea quae imperat subministrat.

   Augustinus Hipponensis, *De Genesi contra Manichaeos*, 1.22.34 (CSEL 91, D. Weber ed., pp.103-4, ll.29-34).

9. Posuit deus hominem ut operaretur et custodiret. quia sic et ecclesie. dicitur in canticis. canticorum. ortus conclusus. fons signatus. quo utique non admittitur peruersitatis ille persuasor. sed tamen per mulierem decipit. non enim ratio nostra deduci ad consensionem peccati potest. nisi cum delectatio mota fuerit. in illa parte animi que debet obtemperare rationem tanquam rectori uiro. etiam nunc nichil in unoquoque nostrum aliud agitur. cum ad peccatum quisque delabitur. quam tunc actum est in illis tribus serpente et muliere et uiro. Nam primo fit suggestio. siue per cogitationem. siue per corporis sensus. uel uidendo uel tangendo. uel audiendo. uel gustando. uel osfando. que suggestio cum facta fuerit. si cupiditas nostra non mouetur ad peccandum. excludetur serpentis astutia. si autem mota fuerit. quasi iam mulieri persuasum erit. sed aliquando ratio uiriliter etiam

commotam cupiditatem refrenat atque compescit. quod cum fit. non labimur in peccatum. sed cum aliqua luctatione coronamur. Si autem ratio consentiat. et quod libido commouerit. faciendum esse discernat. ab omni beata uita. tanquam de paradyso expellitur homo. Iam peccatum imputatur. etiam si non subsequatur factum. quod rea tenetur in consensione conscientia.

Posuit enim deus hominem in paradiso *ut operaretur et custodiret*, quia sic de ecclesia dicitur in Canticis canticorum: *hortus conclusus, fons signatus*; quo utique non admittitur perversitatis ille persuasor. Sed tamen per mulierem decipit: non enim etiam ratio nostra deduci ad consensionem peccati potest, nisi cum delectatio mota fuerit in illa parte animi, quae debet obtemperare rationi tanquam rectori viro. Etiam nunc in unoquoque nostrum nihil aliud agitur, cum ad peccatum quisque delabitur, quam tunc actum est in illis tribus, serpente et muliere et viro. Nam primo fit suggestio sive per cogitationem sive per sensus corporis vel videndo vel tangendo vel audiendo vel gustando vel olfaciendo; quae suggestio cum facta fuerit, si cupiditas nostra non movebitur ad peccandum, excludetur serpentis astutia; si autem mota fuerit, quasi mulieri iam persuasum erit. Sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat atque compescit. Quod cum fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur. Si autem ratio consentiat et, quod libido commoverit, faciendum esse decernat, ab omni beata vita tamquam de paradiso expellitur homo. Iam enim peccatum imputatur, etiamsi non subsequatur factum, quoniam rea tenetur in consensione conscientia.

Augustinus Hipponensis, *De Genesi contra Manichaeos*, 2.14.20-21 (CSEL 91, D. Weber ed., pp.142-3, ll.23-30, 1-15). cf. Gen. 2:15, Cant. 4:12

10. In dolore pariunt filios. Verum sacramentum est huius sententie. quod nulla abstinentia sit a uoluptate carnali. que non habeat in exordio dolorem. donec in meliorem partem consuetudo flectatur. quod cum prouenerit. quasi natus est filius id est ad bonum opus paratus effectus per consuetudinem bonam. que consuetudo ut nasceretur. cum dolore reluctatum est consuetudini male.

    Nam et in pecoribus feminae cum dolore pariunt filios, et haec est in illis mortalitatis condicio potius quam poena peccati. Potest ergo fieri, ut etiam in feminis hominibus mortalium corporum sit ista condicio. Sed hoc est magnum supplicium, quod ad istam corporum mortalitatem ex illa immortalitate venerunt. Verumtamen magnum sacramentum est huius sententiae, quod nulla abstinentia fit a voluptate carnali, quae non habeat in exordio dolorem, donec in meliorem partem consuetudo flectatur. Quod cum provenerit, quasi natus est filius, id est ad bonum opus paratus affectus per consuetudinem bonam. Quae consuetudo ut nasceretur, cum dolore reluctatum est consuetudini malae.

Augustinus Hipponensis, *De Genesi contra Manichaeos*, 2.19.27 (CSEL 91, D. Weber ed., pp.150-1, ll.5-16).